



## **Svmma Juris Canonici**

Comprehensa Tribus Partibus In Qva Distincte Et Svccincte Explicantur,  
quæ ad personas, negotia, & iudicia Ecclesiastica ex Canonum præscripto,  
pertinent

Sive Antinomia Ivris Pontificii Et Cæsarei - per CCL. Differentias plurium  
Doctorum auctoritate probatas, singulari studio in certas classes reducta,  
discussa, & explicata

**Strein, Johann**

**Coloniæ Agrippinæ, 1658**

CIV. Differentia 30. Iure Canonico propter naturalem frigiditatem, fide ea  
constet, solvi matrimonium potest: in dubio autem triennium  
expectandum est. Iure civili autem indifferenter triennium ...

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61864](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61864)

## DIFFERENTIA 30.

*Iure Canonico propter naturalem frigiditatem, si de ea constet, solvi matrimonium potest: in dubio autem triennium expectandum est. Iure civili autem indifferenter triennium constitutum est, c. Laudabiliem 5. de frig. & malefic. Novell. de nupt. c. 6. Canisius 44.*

**I.** **C**onsultus de frigidis *Celestinus III.* respondet in *c. citato* à tempore celebrati matrimonii cohabitandum illis, & triennio experientiam faciendam de copula, si ante triennium non possit probari frigiditas. Elapso autem triennio, si simul habitare noluerint, & mulier probare possit viri impotentiam, accipiat alium, & si ille accepit aliam, separandi sunt. Ex his magno consensu Canonista, & Theologi cum *S. Thom. 2. 2. art. 1.* docent impotentiam perfectam & perpetuam, quæ usum matrimonii impedit, matrimonium irritum reddere, quamvis eâ cognitâ contraheretur. Quando autem dubitatur, an perpetua, an potius temporalis sit, coniti debere conjuges ad copulam peragendam non facile desperando. Nam *Caiepan.* refert in *citata q.* quendam post sex annorum conatum filios tandem precreasse. *V. Ioann. de la Cruz. tit. de matrimonio art. 7. dub. 15.*

**II.** Inter leges saculi *Novella de nupt. c. 6.* primo biennium præscribit ad

explorandam viri impotentiam: deinde adhibitâ correctione triennium constitutum est pro majori certificatione. Atque ita idem utriusque fori iudicium est, post triennii experientiam de frigiditate separari conjuges posse, quia præsumitur impedimentum perpetuum esse. *Diso.* separari posse, nisi simul vivere desiderent, mutuisque obsequiis sibi invicem servire, uti fratres, & sorores, ita tamen ut eodem lecto, osculis & amplexibus abstineant, quia per ejusmodi oblectamenta animi puritas facile obfuscatur. *V. Navarr. Consil. de frigid. & malefic. n. 10. Sanchez. de matrim. l. 7. disp. 94. n. 8. Canis. l. 2. summ. tit. 15. Coniuck disp. 31. de imped. matr. dub. 7. n. 81. & seq.*

\* \*